

ac viam veritatis deserant, rursum renovare ad pœnitentiam, eos in primis qui crucifigunt sibi ipsis Filium Dei, cumque ignominiae exponunt.

Unde causa hujus mei propositi, quare jam illa fundamenta prima e. g. de pœnitentia &c. impræsentiarum non exponam, satis claret. Quæ res enim non tantum frustranea est, sed etiam plane impossibilis, illa frustrâ tentatur. At ex vobis illos, qui ita in pristinam incredulitatem prolabuntur, ut sibi ipsis denuo Christum crucifigant, h.e. Christum negent verum Messiam fuisse, adeoque pro peccatis suis satisfecisse, renovare velle ad pœnitentiam, proponendo fundamenta veræ pœnitentiæ & fidei in Deum, doctrinamque de Baptismo &c. id verò frustraneum est, adeoque impossibile. Ergo frustrâ hoc tentarem, & per conseq. melius facio, quod ad animu[m] fidei vobis inculcandam pergam. Minorem, quare impossibile sit, tales prolapsos illuminatos renovare ad pœnitentiam, Paulus edifferit hoc Profyllogismo: *Quicunque Filium Dei sibi ipsi denuo crucifigit, & ignominiae exponit, is utique ad pœnitentiam renovari non potest; Ratio hæc est, quia is evertit fundamentum omnis pœnitentiæ ac fidei in Christum, extra quem nulla est salus.* Christum enim *per se ipsum* (seipso vel quantum in se est, per suam incredulitatem, vel apud se ipsum, i. e. in corde suo, per se ipsum, bene / oder mit sich selbst) denuo crucifigere, & contumelia prosequi, nihil aliud est, quam Christi meritum ejusque sufficientiam negare, imo negare Christum pro se ipso mortuum & crucifixum, adeoque idem facere pertinaci sua incredulitate, ac si denuo Christum cruci affixum & denuo ignominiae expositum vellent: imo illi ipsis perversi homines sibi denuo crucifigere atque ignominiosè tractare Christum videntur *εαυτοῖς* (si est Dativus, abundat, vel emphasin notat, ut apud Latinos: suo sibi gladio aliquem perimere; si Ablativus, notatur medium, per quod crucifigunt se ipsis,) cum illuminati ante Spiritu S. deque virtute passionum, quæ sunt in Christo firmiter edocti, illam sufficere omnium hominum peccatis delendis, nihilominus postea eo incredulitatis prolabuntur, ut eum, per quem redemi sunt, negent, quid est Christum *ἀναστατεῖν καὶ παρεγδειγματίσαι*, si hoc nō est? est enim est hæc locutio hyperbolica, vel etiā similitudo, & sensus est: Christū summa quā fieri potest injuria, sua incredulitate afficere, idemque facere, ac si ipsum denuo cruci affigerent, quamvis hoc in æternum fieri non poscit. Rom. 6, 9, 10. imo crucifixori-